



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

11. Vtrum peste infectis etiam cum vitæ periculo danda sit Extrema
Vnctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ARTICULUS XI.

Vtrum peste infectis etiam cum vita periculo conferenda sit Extrema unctio?

Sicut non est tantæ necessitatis Sacramentum Eucharistiæ, quantæ sunt Baptismus & Pœnitentia; ita adhuc minoris est Extrema-unctio. Nihilominus tamen etiam tempore pestis Pastores, & Missionarii Pastoralia munia obeuntes, tenentur hoc Sacramentum conferre, cum enim omnia Sacramenta sint ordinaria media ad salutem, illi qui ex officio tenentur salutem populi procurare, non debent illos, qui per pestem maximè illis indigent mediis, privare. Tum etiam, quia hoc non potest fieri sine magnâ perturbatione eorum, qui in tali anxietate sunt constituti, dum enim ab amicis temporalibus destituuntur, aliud non habent solatium, quàm ut mediis spiritualibus spiritualiter adjuventur:

Tum vel maximè, quia in illâ infirmitate crebra accedunt symptomata & deliria, ratione quorum capaces non sunt ad alia Sacramenta recipienda, & quia fieri potest, quod antea illa habuerint, & adhuc virtualiter habeant imperfectum dolorem qui est attritio, quæ sufficit ut cum Sacramento consequantur peccatorum suorum remissionem, rationabile est

ut conferatur ipsis hoc Sacramentum cuius solius capaces sunt.

Utrum autem hæc tanta sit obligatio in Parochis & Missionariis, ut etiam cum vitæ periculo, debeant administrare, multum inter Theologos disputatur. Nugno noster ad suppl. S. Thomæ q. 33. a. 2. diffic. 2. mordicus tenet partem affirmativam. Sylvius autem q. 32. ad art. 3. licet utrumque teneat probabile, magis tamen etiam adhæret sententiæ affirmativæ.

Omnes autem conveniunt, quod si non sit grave periculum vitæ, sit obligatio sub peccato mortali: hoc enim colligitur ex rationibus in principio hujus articuli positis. Quibus addi potest exemplum quod adferri solet de Duce aut milite in temporali militiâ, qui sæpe obligantur vitam exponere periculis majoribus propter aliquod bonum temporale, ergo multò magis Duces spirituales quales sunt Pastores, tenebuntur, cum aliquali saltem periculo vitæ, hoc Sacramentum conferre, quod plurimum confert ad vincendas tentationes in mortis articulo occurrentes, & ad disponendas magis animas ad consecutionem æternæ beatitudinis. Leve autem periculum esse censetur, in principio morbi, quando pestis non adeo invaluit, ut quoscumque accedentes inficiat. Ac proinde statim, ubi pestis aliquem corripuerit, poterunt hoc Sacramentum conferre. Poterit etiam conferri eminus oblongiori virgulâ oleo tinctâ.

Si autem adeo morbus invaluerit ut evidens sit infectionis periculum, regulariter non erit talis obligatio sub mortali peccato. Ita tenet Chapeville ubi supra cap. 5 q. 2. & ratio est, Quia hoc Sacramentum non est medium necessarium ex divino præcepto, sicut alia, quibus nisi ponatur obex, sufficienter subvenitur salutis æternæ. Et sic non est gravis necessitas cui debent Parochi succurrere. Dixi, *regulariter* quia fieri potest, ut etiam sit gravis, imo fere gravissima necessitas, videlicet quando per accidens conferre deberet primam gratiam eo quod existens in peccato mortali, capax non esset alia Sacramenta suscipiendi.

Quando autem tantum esset periculum bonorum temporalium, nullatenus potest hoc Sacramentum negligi, cum illi damno tantum prævaleat bonum spirituale, quod animabus ex hujus Sacramenti susceptione accrescit.

Pro coronide aliquid dicendum est de casu quo aliquis in partibus missionis infirmaretur in publico Xenodochio, aut aliâ domo publicâ, & strictè sub poenâ gravissimæ multæ, incarcerationis, aut exilii esset prohibitum, ut aliquis Sacerdos infirmos, sive peste, sive alia infirmitate laborantes accederet, utrum teneretur Parochus aut Missionarius tali se periculo exponere?

Resp. Ex dictis, teneri, si spes sit, quod succurrere poterit, & Sacramenta conferre. Si autem, moraliter loquendo, nulla talis spes affuerit.

affulgeat, eo quod per hæreticos ministros
 continuò & diligentissimè advigiletur, & sic
 expectanda tantùm sit magna turbatio sine
 fructu, negotium Deo commendandum est,
 & sæculares Catholici mittendi, qui infirmum
 pro posse suo animent, & ad contritionem
 excitent.

Utrum singula organa sensuum tempore
 pestis singulatim sint ungenta, superius resol-
 vimus tract. I. art. 6.



X 4

FOR.